

- A** *ACTUS ENTITATIVUS* est, quò aliquid simpliciter ens est. Nihil aliud autem est, quàm *EXISTENTIA*, per quam aliquid Ens est simpliciter, cum citra eam absolutè sit *non-ens*. Actus entitativus secundum se, prout competit *DEO* & creaturis, neque includit respectum ad aliquam potentiam, neque excludit. Sin verò ad speciales *entis* rationes applicetur, non unius modi est. Sanè in ente increatò sive *DEO* absolutè & citra respectum ullius potentiae dicitur. Verùm in creatis omnibus *potentiae obiectiva*, in quâ erant, antequam crearentur, quanquam non nisi intermediâ creatione respondet.
- III. Est vel (d)** *ACTUS FORMALIS* est qualibet forma, comparatione *subjecti sui*, quod informat. Ut anima in corpore organico, *albedo* in lacte, scientia in intellectu. *Materia prima* intra essentiam suam, nullum planè actum formalem habet, licet quoslibet recipere apta sit. Unde dicitur *Pura potentia*, sc. passiva. Nihilominus *Actu entitativò* gaudet, quod est potentia passiva, & recipit formam, ejusque subjectum est.
- V. Est vel (e)** *PRIMUS*, qui est id, quod se habet ad aliquid, sicut anima ad corpus organicum, aut alia formâ substantialis ad materiam; aut sicut scientia ad subjectum; aut ut forma Mercurii ad lignum. *SECUNDUS*, qui est id, quod se habet ad aliquid, sicut ædificatio sive ædificare ad artem ædificandâ, aut eum, qui istam artem callet; & vigilare ad id, quod vigilare potest, sive vigilet, sive dormiat; videre ad id, quod visu præditum est, sive videat, sive oculos clausos habeat. *Actus secundus præcipuè dicitur comparatione* potentiae activæ, aut principii eâ præditi. Unde actiones & operationes, & quaecunque verbis operari atque agere comprehenduntur, propriè *Actus secundi* sunt. Quia tamen idem numerò *actus* quoque respectum obtinet ad subjectum, quod eum recipit, ut calefactio ad aquam; aut ad obiectum, quod per eum producit, ut creatio ad rem creatam; his autem *actus* non nisi verbis activis applicatur, cujusmodi sunt calefieri, sanari, creari: hinc etiam quæ talibus verbis efferuntur, nonnulli sub *actu secundo* contineri asserunt. Et sunt omninò *actus secundi*, non autem quatenus *subjecto* insunt (nam & *actus primi* sunt in *subjecto*) sed quatenus ab actionibus non differunt, & proinde secundum rem aequè à potentia activâ procedunt.
- V. Est vel (f)** *ACTUS SIGNATUS*, qui est forma vel formalis alicujus ratio & essentia, quæ rebus toto genere diversis inest, non tamen prout illis inest, sed absolutè & secundum se considerata, unâ cum omnibus, quæ ad illam pertinent.
- V. Est vel (g)** *ACTUS EXERCITIUS*, qui est qualibet res in particulari, cui comunissima illa forma vel ratio inest. Sic Logica considerat Syllogismos in *actu signatò*, exponendo, qui & quales esse debeant, ut ad veritatem investigandam sint idonei. Scientiæ Philosophicæ syllogismos sibi vendicant in *actu exercitò*, h. e. ipsos Syllogismos conficiunt, quibus inest comunissima illa forma sive ratio, prout in Logicis traditur.
- VI. Actus est vel**
- NATURALIS** Qui ut est (1.) *ACTUS FORMALIS*, dicitur comparatione *SUBJECTI*, cujus naturalem capacitatem sive potentiam passivam non excedit, ut *actus docendi* respectu discipuli doctrinam recipientis. Ut verò (2.) *ACTUS SECUNDUS* est, dicitur comparatione *AGENTIS CREATI*, cujus nec vires naturæ sive potentiam activam superat, ut idem *docendi actus* respectu docentis.
- SUPERNATURALIS** Qui ut (1.) est *ACTUS FORMALIS*, itidem dicitur comparatione *SUBJECTI*, cujus naturalem capacitatem sive potentiam passivam excedit, ut *actus convertendi* aquam in vinum, respectu aquæ illum actum formamque illò productam recipientis. Ut verò (2.) est *ACTUS SECUNDUS*, non dicitur supernaturalis respectu *supernaturalis agentis DEI*, verum comparatione *concurrentis cum illò AGENTIS CREATI*, & quatenus hujus vires sive potentiam activam excedit: ut *actus*, quò beati clarè vident *DEUM*, respectu intellectus illum actum in virtute luminis gloriæ supra naturam suam elicientis. Estque autem *ACTUS SUPERNATURALIS* triplex: vel
- (AA) I. QUOAD SUBSTANTIAM, qui per nullum planè agens naturale produci potest, quomodocunque operetur, & in quodcunque subjectum agat. Ita qui à renatis & fidelibus præstantur spirituales actus, etsi ab intellectu ipsorum & voluntate pendent secundum generalem rationem, quâ actus cognoscendi & volendi sunt; secundum substantiam tamen, sc. propriam & specificâ, & quâ tales circa tale obiectum sunt, non nisi in virtute *gratiæ* & *Spiritus* perficiuntur.
- II. QUOAD SUBJECTUM supernaturalis actus est, qui secundum se quidem potest produci per agens naturale, sed non in, vel ex talis speciei subjectò, aut si talis speciei, non tamen taliter affecto. Sic si ex lapidibus procrearentur filii Abrahamo: vel si homo ab ortu cæcus, aut cui erepti vel aliàs planè corrupti sunt oculi, videret.
- III. QUOAD MODUM supernaturalis actus est, qui secundum se per agens naturale, & in, vel ex tali ac taliter affectò subjectò, sed neutiquàm tali modò produci potest. Ita non est supra naturam, ut qui ad tempus fuit cæcus, incorruptâ oculorum substantiâ visum recipiat; sed ut ille in momentò convalescat, vel videat nullis adjuvantibus medicamentis, id supernaturale est.

ANNO-